

CAROLVS MAGNVS I. IMPERATOR GERMANORVM.



Arolus natus est in Ingelheim celebri loco Germanie, duobus millibus passuum à Moguntia distans, ubi postea insigne palatum extruxit, cuius vestigia etiam hodie cernuntur. Patrem habuit Pipinum illum regem Francorum, qui regis Hilderici ultimi ex gente Merouingorum praefectus Palatij prius erat. is uero eo tempore Maior domus dicebatur, ad quem summa Imperij spectabat, cum reges preter inane titulum & personam, crine atque barba vestitam, in solio residentem & legatos audientem, nihil reliqui haberet. tandem etiam Hilderico in monasterium detruso, iussu Stephani pontificis, omnium consensu rex electus. matrem uero Bertham, quae filia erat Heraclii Constantinopolitani Cesaris. A pueris omni generi literarum optimè institutus fuit. liberales enim artes studiosissime coluit, atque doctos unicè dilexit, & magnis affectibus honoribus. Primò usus praeceptore Petro Pisano sene Diacono in Latinæ & Græcæ linguæ Grammaticis. in reliquis uero artibus, utpote Dialectica, Rhetorica, & Mathematica ipsum Albinum, qui Alcuini cognomen tutus erat natione Anglus, atque quondam uenerabilis Bedæ auditor, uir longè doctissimus, id quod etiamnum opuscula ab eo conscripta & edita testantur.